

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z


CLXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ca, miror enim, nec ex Tubinga nec Durlaco quicquam nunciari, licet aliquoties per literas id flagitarim. Commendo te gratiæ DEI cum familia, collegis. Resalutant te mei symmista, Isaacus Kellerus & D. Samuel Grynaeus, vir mihi in DOMINO conjunctissimus.

Tuus ex animo

Sulcerus.



CLXXVII.

Salutem in Christo Jesu.

Quod ad literas tuas, Clarissime D. Licentiate, amicorum charissime, hætenus non respondi, quas ad me dedisti, nolim id ignaviæ aut occupationibus meis adscribas. Unica enim causa fuit, cum tabellarii ad vos eunt, id mihi nunquam significatum fuisse. Certum igitur jam nuntium nactus, officium scribendi intermittere nolui. Gratulaturus primo omnium tibi propter vocationem, quæ, Divina providentia, tibi contigit amplissima. Etsi enim optassem, licuisse tibi per adversarios cum patre diutius versari, eique te Collegam adjungi, tamen, cum videamus, consilia DEI à nostris longe aliena esse, quo Dominus vocaverit, eundem est. Siquidem regnum Christi in terris locis limitatum non est. Nec minus in Schola recens instituta Filio DEI & membris corporis ejus servire poteris, quam si patriæ infervissès. Et est Græcia quoque patria tua. Ubi enim Ecclesia Christi est, ibi te de mi esse existimes, donec te eò vocaverit, quo te parentum pius & honestus amor deducet. Et hæc quidem de tua vocatione. Cæterum te non ignorare existimo, quid perturbator ille, nobilis Illyricus, in vestra quoque Ecclesia & Schola more Suum perturbare tentaverit. Is cum me in consortium suum invitum rapere multis modis tentaverit, semel illius malitiæ occurrendum esse existimavi, haud dubiè etiam tibi non parciturus, si occasione nactus esset. Ne igitur in scholam vestram teneram lites & contentiones devolverentur, à D. D. Joanne Hombergio, Te & aliis bonis viris, Ecclesiæ & Scholæ Doctoribus, averterè, & in meipsum convertere volui, ut vestris Ecclesiis, vobisque parcat, neve ab opera vocationis necessaria ad certamina avocaremini. Postquam enim non desinit MENTIRI Illyricus; Nos lucem & collationem ingenuam fugere, visum est bonis viris, Collegis meis imprimis, ut disputatio Argenteratensis edatur; in qua non modo mendax hæc querela refuratur, sed etiam error opinionis ipsius detegitur, ut sperem ab omnibus etiam mediocriter institutis intelligi posse. Addidi etiam alia scripta, quæ malitiam Illyrici omnibus

Sss 3

con-

considerandam & detestandam proponunt. Eam Dominis vestris Generosis dedi-
cavi. In eo si à me peccatum est, quaeso me excusa, factum enim est eo potissimum
consilio, ut illos pie moneam, ne patiantur sibi ab Illyrico imponi. Significatum
est mihi quoque, M. Georgium Cunium, quadam Oratione nostrum Magnificum,
in parte nomen meum apud proceres deformasse, argumentis forte atreptis ab Hes-
husio & Wigando. Id si factum est, ut me defendas, & illis commendes, oro.
Non enim is sum, quem illi praedicant, Christi & Belial conciliator, sed veritatis &
pacis studiosus. Mitto igitur per hunc nuncium aliquot tantum exempla scripti mei,
quia plura non poterat ferre Nuncius. Ea Tu & D. D. Hombergius distribuatis,
D. D. Generosis, pro vestra voluntate, cum scripto manu tua nomine meo illis sin-
gulis exemplis exhibendis. Ut autem plura ad vos adferantur, commodissime id fieri
posset per Augustanum bibliopolam, Georgium Willerum, si modo ea de re aliquid
cum ipso constitueretur. Audio enim, nostros libros aut nullos, aut paucissimos ad
vos perferri. Quod etiam ego pro mea persona non magnopere curarem, nisi sci-
rem, aliter homines, imprimis Comites & Barones, de me persuasos esse, quam par
erat. Ut igitur excusatus sim, te dento oro, ut hoc mihi officium prestare velis.
Bene & feliciter vale. Raptum Tubingæ, 22. Januarii, 1575. Quem tibi tuisque fe-
licissimum opto.

An grata vel ingrata Dominis vestris fuerit scripti mei dedicatio, mihi per hoc
vel alium significare poteris tuis literis.

Tuus ex animo

Jacobus Andreae, D.



CLXXVIII.

Gratissima fuit salutatio & Colloquium D. Magistri, tui contubernalis,
ut ex quo praeter ingenii suavitatem, qua sum valde recreatus, multa co-
gnovi, quae scire me non inutile sit. Tiguri bella parari, non dubites, quibus
se adjuncturos Genevates & Heidelbergenses conjicio, idque tanto ardentius,
quod à Saxonibus se condemnari videant, licet non profusum ~~improbitatis~~ cum
Wirtembergicis nostris. Interea scandalis perturbatur Ecclesia, quae ut vita-
ri modis omnibus velim, ita ut vitari possint, non video, ob pertinaciam quo-
rundam. Sed Dominus est, qui solus adferre malis medicinam potest, & ve-
ritatem vindicare à corruptelis, quem oremus. L. Erasmus (quod haecenus
ignorabam) professione publica functionem se dignam, idque cum dignitate
& fructu sustinere, vehementer gaudeo, quod nihil dubitem ad religionis ve-
rae